

D F N

1604



00  
1A  
0020

+



DISPUTATIO BIBLICA XVIII  
EX XXI, CAPITE

Geneleos, ad privatam

συστήσιον

proposita à

SALOMONE GESNERO, S.S.  
THEOLOGICÆ DOCTORE ET PRO-  
fessore in Academia VVitebergensi.

De qua, postrema Ianuarij, Anno  
Christi 1599. respondebit

THOMAS VVEGELINVS  
Augustanus.



VVITEBERGAE,  
Imprimebatur Typis Meißnerianis,  
M. D. XCIX.



CLARISSIMO ET  
MULTVM REVERENDO VIRO  
D. N. LEONHARTO HVTERO S. S. Th. D.  
ET PRO TEMPORE ACADEMIÆ VVITEBERGEN-  
sis Rectori Magnifico, Præceptori & fauto-  
ri suo summè colendo :

NEC NON

AMPLISS. ET NOBILISS. VIRIS  
Dn. TVTORIBVS ET FVNDATORIBVS COLLEGI  
*Evangelici apud Augustanos, Mecœnatibus  
suis munificentiss.*

Humiliter

D. D. Respondens.



## Thesis, I.

**H**actenus Abrahamum sine promissionis hærede cognovimus: deinceps, qualis fuerit, cum filium ex Sara adeptus esset, videbimus.

2. De Isaaci proinde nativitate, & ijs, quæ hanc consecuta sunt, iam differemus. Vbi campus se offert disputandi de multis Theologiæ capitibus minimè postremis, vtpote de divinis miraculis, de Sacramentis, de Isaaci & fidelium electione, de Ismaëlis abdicatione, de infidelium reprobatione, de veteris Noviç: Testamenti distinctione, de parentum σοφῶν, de cōsensu eorundem in liberorum matrimonijs, de foederibus & alijs locis communibus. Nos quædam ex istis stri etiam attingemus.

*Loci communes capituli XXI Geneleos.*

### Questio I. De mirabili Isaaci nativitate.

3. Nativitatem Isaaci quinq; circumstantiæ faciunt illustrem. Principio enim κύριον αἰτίον non Natura, non Angelus, sed ipse Iehova perhibetur, dicente Moyse, Dominus visitavit Saram, sicut dixerat, & fecit Dominus Saræ, sicut locutus fuerat.

4. Esse autem Iehovam æternum Dei Filium & λόγον capitale 17. & 18. abundè ostensum est.

5. Hinc non modò illud evincitur, quod donum Dei sit fructus ventris Psal: 122. neq; istud saltem, quòd Dominus sterilem faciat matrem filiorum lætantem Psal: 113.

6. Sed imprimis quod Israeliticæ gentis origo & propago eiq; illa defluens Christi secundum carnem generatio, non Iudæo-  
tū meritis gentisq; nobilitati, sed divinæ gratiæ ascribenda sit.

*Origo gentis I-  
sraëliticæ donum Dei mere  
gratuitum.*

7. Quod quidem visitationis appellatione innuitur. Ea enim ad antegressam promissionem relata τὸ ἀποτέλεσμα & impletionem denotat.

8. Ideo Paulus Isaaci conceptionem non naturæ, sed promissioni & fidei disertè adscribit Gal: 4. v. 23. Heb: 11 v. 11.

9. Deinde mentio parentum miraculum auget: cum Sara nõ modò natura Sterilis sed insuper etiam effœta fuerit, Abraham

ad procreandos liberos ætatis vitio corpus emortuum habuerit  
Rom: 4.

10. Quam ob causam Dominus ipse Israëliticam gentem non minore miraculo è parentibus ad generationem ineptis ortam esse affirmat, quam olim vndam è rupe in deserto à Moysse evocatum Esa: 51. Exod: 17. Vide Chrysostrum.

11. Sed quoties Deus annuit, difficilia fiunt facilia, & impossibilia possibilia, vt ait idem, & Luc: 1.

12. Atq; hinc fides Abrahami enitescit, quam Apostolus prædicat, quòd contra spem in spè crediderit, quòd fide non sit debilis factus, quòd corpus suum emortuum non consideraverit, cum centenarius iam esset, quòd mortuam Saræ alvum non attenderit, Rom: 4.

13. Tertiò soboles miraculum amplificat, quòd non foeminea, sed, vt Dominus dixerat, mascula editur. Ex quo iterum patet, quemlibet nostrum intra uterum à Deo formari Psal. 139. Iob. 10.

14. Neve Isaaci nativitas sic comparata existimetur, vt Christi, quem virgo viri expers edidit Luc: 1. Ideo conceptionis fit mentio.

*Quod Sara ger-*  
*mana sit Isaaci*  
*mater.*  
15. Et cum Sara uterum gesserit, neq; absq; obstetricis & mulierum opera pepererit, Deusq; illi lactis fontes, vt Chrysostr: ubera describit, aperuerit, nequaquam indiguit Rabinorum commento, qui fabulantur, Saram inter ablactationis epulas vicinarum infantulos suis uberibus admovisse, seq; Isaaci matrem esse hoc argumento persuasisse, cum illæ prius filium suppositivum & adoptivum opinatæ fuerint.

*Isaaci nomen.*  
16. Quarto nomen puero inditur à risu & lætitia, ut Isaac vocetur.

17. Idq; nec patris, nec matris inventum, sed Dei mandatum erat Gen: 17. v. 19.

18. Ritus autem vt scribit Ambrosius libro de Isaaco cap. 1. est insigne lætitiæ. Quandoquidem Isaac typus erat illius, qui omnium lætitia est.

19. Postremo tempus annotatur, quòd videlicet Isaac natus fuerit exacto anno postquam Abraham Filium Dei cum duobus Angelis convivio exceperat, & Sodoma sulphureo igne conflagaverat Genes. 18. v. 10.

Quæstio

*Quaestio II. De Circumcisione  
Isaaci.*

20. Memor est Abrahamus mandati quod Gen: 17. acceperat, ideoq, filium die octavo à nativitate sacramento initiationis Domino consecrat.

21. Atq, ita Isaac primus omnium octavo die circumciditur, quoniam Christus, quem ille præfigurabat, vltimus erat futurus, qui circumcisione *ὀκταήμερος* hoc Sacramentum aboleret.

22. Sed Christus notam & signaculum istud peccatorum non ut peccator, sed ut expiator carne sua suscipit 1. Ioh. 1. Col: 2. *Isaac primus octavo die circumcisus.*

23. Isaac vero hoc stigmatem in peccatorum numero deprehenditur, & amputatum præputium immundæ conceptionis & ortus evidentissimum argumentum est, Psal: 51. Iob: 14. & 15.

24. Figmentum proinde sit necesse est quod ex sanctis nati parentibus ab ipso ortu sint in gratia Dei. Nisi enim Abrahamus filium suum extra gratiæ foedus esse intelligeret, nequaquam circumcisionis Sacramento eundem inserere festinaret.

25. Certum itaq, est, Deum non aliter velle Isaaci & reliquorum Sanctorum propitium esse patrem, quam intercedente regenerationis organo in circumcisione divinitus sancito.

*Quaestio III. De Adjunctis nativitatibus  
Isaaci.*

26. Quam illustre sit hoc ipsum divinæ maiestatis opus Moisaica *ἐπικοπή* indicat, qua circumstantiæ modo commemoratæ uberius etiam explicantur.

27. Factum n. hoc esse Moyses tradit anno Abrahami centesimo, quod partim ad miraculi & Abrahamæ fidei amplificationem, partim ad sacram Chronologiam pertinet.

28. Ab Isaaci enim natalibus rectissime numerantur anni quadringenti, qui supra capite 15. exilio seminis Abrahamæ deputati sunt, qua ratione August: lib: 16, de Civit. Dei cap: 24. & Alcuinus in quæst: super Genes: utitur. *Chronologia 400. annorum Gen: 15.*

29. Cur à risu Isaaco nomen sit inditum id Sara explicat, factum illud esse tum ob suam lætitiā & gaudium, tum etiam ob aliorum congratulationē. Accedit Ismaëlis & impiorum irrisio, de qua infra dicetur.

30. Ac quemadmodum Isaac pijs lætitiæ, impijs irrisionis materiam suppeditat: ita Christus fidelibus gaudium, infidelibus scandalum est Luc: 1. 1. Cor: 1.

31. Quod deniq; Sara ait: Quis dicturus fuisset, Sara Abrahamo lactabit filios, nihil omnino Rabinicæ fabulæ, de qua supra, patrocinator, sed usitata est numerorum Enallage: Sicut Genes: 46. v. 7.

#### Quæstio IV. De ablactatione Isaaci.

32. De pueritia Isaaci Moyses nihil annotavit, præterquam quod creverit, quæ scripturæ phrasis, Luc, 2. explicatur, de ætatis, staturæ, sapientiæ & gratiæ apud Deum & homines profectu.

33. Neq; dubium est, Isaacum à parentibus, in veræ doctrinæ studio & timore Domini, sedulo fuisse educatum Ephes. 6.

34. Ablactationis Moyses meminit partim ut matres sui officij, de quo 1. Sam: 1. Psal: 8 & 22. & 131. admoneret, partim ut cæteris reverentiam inculcaret, quam matrimonialibus debent operibus 1. Pet: 3. 1. Tim: 2. 1. Cor: 7.

35. Nec obscura hîc est monasticæ hypocriseos vituperatio. Monachi enim & Moniales indignum prorsus sua sanctimonia censerent, si in sanctorum suorum historiis, honestarum vxorum & coniugalium operum meminisse deberent, quos interim non pudet Romanæ illius meretricis sinus exosculari Apoc: 17.

*Convivium  
ablactationis.*

36. Convivium postremo, quo Abraham ablactationem Isaaci solennem reddidit, non modo liberalitatis, hilaritatis atq; etiam Eucharistias erga Deum Symbolum est.

37. Sed nos etiã admonet de jucundissimo Patriarcharũ eius seculi convictu.

38. Cum enim Abrahamo Synchroni fuerint Sem, Melchisedec Eber & alij, plane verisimile est istos epulis interfuisse Genes. 11.

39. Facit hoc etiam ad Anabaptisticam & monasticam *οκνη* *δρωσι* ap retundendam Matth: 6.

40. Nec



40. Nec operæ precium est scrupulosius inquirere, cur Abraham non nativitatibus vel circumcissionis, sed ablactationis die convivium celebret. Augustinus, Origenes & alij mysterium ea in re quærunt, quasi Patriarcha innuere voluerit, gaudendum esse, quando homo solido veritatis cibo, non lacte carnalis intelligentiæ pascitur 1. Cor: 3. Hebræo: 5. Alijs placet, Abrahamum noluisse gentilium consuetudinem imitari.

41. Sed expeditissimum est, Abrahamo id tempus convivio aptissimum fuisse visum. Res enim est libera.

### *Quæstio V. De promissione benedicti seminis ad Isaacum restricta.*

42. Ex ijs, quæ huc vsq; audivimus, nondum perspicue innouit, quod Dominus supra cap: 17. v. 19. Abrahamo promisit, stabiliam foedus meum cum Isaaco. Iam verò Ismaël eam ob causam è familia Abrahami eliminatur, ut Isaac solus istius divini beneficii hæres maneat.

43. Causa, ob quam Ismaël domo eijcitur, una est, quod Sara animadvertit filiū Hagar Ægyptiæ, quem illa pepererat Abrahamo, irrisorem esse. *Ismaël irrisor.*

44. Rabini perperam hunc risum sic exponunt, quasi Ismaël Isaacum ad epulas Idolothytorum invitaverit, sicut de Israëlitis scriptum est Num: 11. & 26, 1. Cor: 10. sedit populus ad edendum & surrexit ad ludendum. Vide Alcuin.

45. Nam eiusmodi lusum Abraham in sua familia & præsertim in filio, qui per circumcissionem foederi gratiæ erat insertus, minimè tulisset.

46. Quod etiam iste sive risus, sive lusus, non fuerit puerilis, qui alioquin inter infantes & pueros usitatus est, partim ex ætate Ismaëlis, qui tunc annum decimum octavum, proculdubio, agebat, partim è gravissima indignatione piæ matronæ, diviniq; oraculi approbatione manifestum est. *Qualis irrisio Ismaëlis fuerit.*

47. Paulus itaq; Gal: 4. risum & lusum hunc de persecutivone rectè exponit, quæ iam tum è gestibus & insultationibus Ismaëlis elucebat.

48. Atq; hoc ipsum etiam Moyse non obscure innuit allusione

sione vocis Mezachek ad nomen Isaaci, sic enim ait: Sara vidit filium Hagar Mezachek, hoc est, illudentem seu irridentem, qua paranomasia id indicatur, quod Ismael Isaacum ludibrio habuerit, quodq; eius nomen à risu fidei & lætitiæ ipsi impostum ille in contumeliam verterit, quasi Isaac dictus esset, qui merito derideretur.

49. Procopius Ismaëlis lusum comparat cum lusu militum Abneri & Ioabi 2. Sam. 2.

50. Hac quoq; in parte Isaacus figura Christi & fidelium fuit, qui mundi sunt περιπαθήματα 1. Cor: 4. & perpetuo persecutionem patiuntur Ioh: 16.

51. Alteram causam Sara postea significat, quod nimirum Ismael (instinctu proculdubio matris) paternam hæreditatem principatumq; in fratrem, tanquam primogenitus, affectarit.

52. Paulus tertiam adijcit, representatum nimirum hac separatione fuisse, utriusq; Testamenti discrimen, & Veteris quidem abrogationem, Novi autem introductionem Gal: 4.

53. Et idem Paulus Rom: 9. ostendit ista eiectione Ismaelis Israelitarum, qui sola carnali è patribus nativitate intumescabant, abdicationem, & Spiritualium filiorum, hoc est, fidelium adoptionem, præmonstratam esse.

*Ismael ab Abrahamo abdicatus.*

54. Hæc cum vxor Abrahami rectius ipso Patriarcha, edocente intus Spiritu Sancto, intelligeret, postulat Ismaelem vna cum matre domo extrudi.

55. Etsi verò Abrahamus paterna erga Ismaelem sollicitudine & commiseratione detentus initio agrè fert uxoris postulationem, quam è muliebri affectu & indignatione proficisci existimat, illico tamen rectius ab oraculo informatus acquiescit.

56. Dominus enim quartam illi istius instituti causam, quæ priores in se complectitur, manifestat, cum ait: ne indigne feras pueri & ancillæ tuæ causa, quæcunq; dixit tibi Sara obtempera voci eius; quoniam in Isaac vocabitur tibi semen.

*Qui verè sunt filij Dei.*

57. Quæ Domini verba interprete Apostolo Rom: 9. & 11. id sibi volunt, quod non liberi carnis ilico sint liberi Dei, sed quod liberi promissionis pro filijs censeantur.

58. Atq; hoc oraculo inanis Iudæorum de Patriarchis, & quibus secundum carnem sunt orti, gloriatio prostermitur.

Ethni-

Ethnicorum verò fidelium vocatio & electio fulcitur Iohan. 3.  
Matth. 8. & 20.

59. Confirmatur etiam ita Domini sententia: in Isaac vocabitur tibi semen, quod filij Dei, & ad æternam vitam prædestinati, non ex voluntate viri, neq; ex voluntate carnis, neq; ex sanguinibus, sed ex Deo per lavacrum regenerationis nascantur Iohan: 1. & 3. Eph: 5. Tit. 3.

60. Quin & istud hinc consequitur, quòd Ecclesia non carnali successioni, sed veræ doctrinæ professioni & propagationi alligata sit Iohan: 3. Ierem: 7. *Ecclesia non alligata certo loco & genti.*

61. Vt autē Abraham æquiori animo filij sui Ismaëlis eliminationem perferre posset, ideo Dominus promissionem supra ca. 17. promulgatam hic iterum repetendo animum eius erigit, & ait: Quin etiam filium ancillæ in gentem magnam ponam, quoniam semen tuum est. *Deus Ismaelem non abiicit.*

62. Hinc enim intelligere potuit, Ismaelem nequaquam à gratia Dei ob separationem fore alieniorem, sed nihilominus Deū habiturum propitium, protectorem & defensorem.

### Questio VI. De exilio Hagaræ & Ismaëlis.

63. Iam ipsum exilium consideremus, in quo principio occurrit quæstio: quid sentiendum sit de eo quod Abrahamus Hagarem nullo alio cōmeatu instruit quàm pane & utre aquæ.

64. Inhumanum enim, ἀσέγγον, illiberale, imò iniquum videtur, hoc pacto dimittere filium & uxorem cum mancipijs Deus longè melius prospexerit, quando quidē Deut: 15. Dominus præcipit, ne servi dimittantur vacui, sed ut illis de gregibus oves, de area fruges, è torculari vinum detur, quando manu mittitur. *Cur Hagar a deo turberet & parce ab Abrahamo dimittitur.*

65. Sunt qui Synecdochen comminiscantur, & appellatione panis & aquæ reliqua ad victum necessaria compræhendi existiment, quæ sententia defectu aquæ refellitur.

66. Procopius ἀσέγγον scribes, Abrahamum illis pepercisse, ne iumenti curandi molestia in itinere ipsis oneri esset: quod ridiculum videtur.

B

67. Calvi

67. Calvinus ideo factum existimat ne longius ab ædibus Abrahami abirent : quod ipsum etiam sequens historia de venationibus, connubio, & habitatione Ismaelis in deserto perspicue refutat.

*Abraham Deo confidit, & filium atq; ancillam divinæ committit pro te-ctioni, non humanis præsidijs.*

68. Rectè autem Theodoretus quæst. 71. & Lutherus fecisse hoc Abrahamum ut divinæ promissioni honos & splendor plenè constaret, qui alioquin non enitisset, si ipse servis, ancillis, auro, argento, iumentis & comætu illum instruxisset.

69. An puer humeris matris infederit, Augustino Hieronymo & alijs græca versio quæ id affirmat, & quod versu 15. à matre proiectus dicitur, quærendi ansam præbuit. Sed Hebræus textus traditum eum matri, & infra, v. 18. manu præhensum commemorat : quod ipsum etiam ætas Ismaelis comprobat. Vide Alcuinum inter 197. in Gen :

70. Quod mater filium abijcit, tantoq; recedit spacio, quantum telum arcu excussum transmittit, maternâ sogyp, quæ mortem sobolis intueri nequit, arguit 1. Reg: 3. Esa: 49.

*Deserti ab hominibus curantur à Deo.*

71. Ismael abdicatus à Patre, abiectus à matre mortalibus, susceptus autem à patre immortalis conditionem omnium piorum in hoc seculo adumbrat Psal: 26. Ich: 14, Esa: 49.

72. Apparet quoq; in Hagara diffidentia & impatientia, quod non intelligit Deum quoq; deficientibus causis secundis, suos conservare posse.

73. Ac quam sollicitè Deus infirmiori ætati prospiciat ex, eo liquet, quod non matris lachrymas, sed pueri gemitus exaudivisse commemoratur Marc: 10. Matth: 19. Psal: 8.

*Angelus Domini custodit pueros.*

74. Angelus divinæ providentiæ de exulibus interpret mones celestium Spirituum præfidia pueris, exulibus, & afflictis maximè parata esse Matth: 18. Ebr: 1. Psal. 91.

*Deus ubique præsens.*

75. Quid quod Angelus non ait, audiuit Deus vocem pueri in cælo, sed in loco, in quo iacet? Quid, inquam, aliud notaret, quàm nos nostris precibus nequaquam posse ad divinam maiestatem ascendere, illam verò ad nostram infirmitatem descendere, & ubiq; præsentem esse Rom: 10. Psal: 144. Esa: 64. Psal: 139.

*Christus ubiq;*

76. Ac cum cominus, qui hic Agari fert opem, sit Iesus Christus, non utiq; iam amisit, quod tunc habuit, sed in, cum & per

per assumptam carnem nostram ubiq; suis sui praesentiam hodieque praestat Matth. 18. 28. Ephes: 1. 4. Psal. 110. 8 72.

77. Pueros non esse contemnendos, negligendos, defendendos Domini docet promissio, quod de Ismaele ait: in gentem magnam constituam eum. Esai: 51. Matth. 18.

78. Oculos aperuisse Hagaræ Dominus perhibetur, non quod caeca fuerit, sed quod partim mærore, partim alijs affectibus implicita fontem, qui ante pedes erat, non animaduertit.

Luc: 24.

79. Licet nihil prohibeat, quo minus ipsum quoque fontem divino miraculo repente exortum fuisse statuas.

80. Quandoquidem Deus est cum puero, ut ætate & procul omni dubio etiam pietate, quod ex reliqua eius historia apparet, crescat: ideo ista è familia Abrahami eiectio non ab Ecclesia proscripção & à gratia Dei exclusio.

81. Vnde colligimus, etsi gens Iudaica per Isaacum propagata, suas habet prærogatiuas Rom. 3. quòd nihilominus gratia in Christo proposita non ita ad solos Israëlitas secundum carnem sit astricta, ut non etiam alias gentes complectetur. Vnus enim est Dominus omnium dives in omnes

10. Actor: 10.

82. Quod Ismael paterna domo extrusus in deserto degere cogitur, nihil patrocinator vel monachorum diverticulis & claustris, vel eremitarum & machoritarum, quales sub papatu, vitæ solitariae. Cum ille invitus, hi sponte, ille non ut gratiam Dei demereatur, isti verò ut sibi & alijs profutura supererogationis opera præstent, ab hominum conversatione secedant. Matth: 17. ille vxorem ducat, liberosq; procreet, isti impurum coelibatum iactent.

83. Postremo quod mater illi dat vxorem Ægyptiam refutat impium Tridentinae synodi sessione decretum, quo anathema Papicolæ in eos scribunt, qui affirmant matrimonia à filijs familiæ sine consensu parentum contracta, irrita esse.

84. Quàm enim turpis hæc sit Romanensium sententia non modo exempla Isaaci, Iacobi, Ismaelis, & similiū, nec solummodo quarti præcepti, sanctio, quod obædientiã à liberis

*Iudic: 14. Significabat hæc res, iuxta Procopium, fontem illū vinū conspicari neminē, nisi diuinitus illuminetur.*

*Contra monasticam solitudinem.*

*Liberis non licet coniugium inire sine parentum consensu.*

flagitat Col: 3. Ethnicorum gnoma & consuetudines evincunt.

85. Magis piè ethnicus ille dicebat, quam Tridentini patres: Non ducam eam, si vel Venere formosior, vel Pallade sapientior sit, nisi pater meus consentiat.

*Questio VII De fœdere quod Abraham init cum Philistinorum rege.*

86. Abrahamū Ismaëlis exilio nō parum fuisse consternatum facile omnes paternæ sorγūg non ignari intelligunt. Sed Deus, qui suos in medijs calamitatibus illustres & gloriosos reddit 2. Cor: 12. Psal: 4: novum & prorsus admirabile suæ misericordiæ lumen Patriarchæ affulgere finit.

87. Nam Abimelech Philistinorum rex, apud quem Abraham hospitium habebat, & Phichol princeps militiæ pietati Abrahami illustre testimonium perhibent.

*Magnates ad  
veram religionem  
conversi.* 88. Quovis itaq; tempore Deus etiam è magnatibus aliquos habuit sui nominis sinceros cultores & Ecclesiæ nutritios: Psal: 24. Esa: 49.

89. Nec indignum suā eminentia principes & reges existiment dona Dei in subditis & interioribus agnoscere: sicut isti summopere, admirantur, & prædicant, quod Domini benedictio in omnibus Abrahamæ factis & institutis luculenter effulgeat.

90. Eiusque divinæ clementiæ splendore impulsi ad Patriarcham veniunt, & postulant, ut iuramento se obstringat, quod suam potentiam & opes, quas divinitus ipsi datas intelligunt, aduersus se suosq; posteros convertere non velit, id quod Abraham vltro facit.

91. Omitto

91. Omitto, quæ hic de rara regum & militum erga ministros Domini humanitate, de arcana Dei operatione, qua corda principum, etiam hostium, flectit, de legitimis confœderationibus, quarum vinculum est vera religio Ephes: 4. dici poterant.

92. Anabaptistis opponi debet sanctissimi viri juramentum, & putei Beerscheba à iure jurando appellati monumentum, quæ monent,  $\delta\epsilon\kappa\omega\mu\omicron\sigma\iota\alpha$  nullum esse amicitiae & fœderum nervosorem nervum videlicet ipsius Dei exemplo Ebr: 6. & 7. Ezech: 18. eamque esse partem divini cultus non postremam Deut: 6.

93. Hospitalitatis beneficia gratitudine compensanda esse non modo regis istius postulatio, sed Abrahæ quoque assensio & munerum oblatio V. 27. docet.

94. Annon autem Abrahami posterii fidem ab avo suo Philistinis datam violarunt regione illos expellentes & ad interneccionem cedentes?

*Annon Iudæi  
contra fidem ab  
Abrahâo datam  
egerint.*

95. Nequaquam, sed, ut ait Proc: illi, qui fœdus petiverant, fœderis religionem tandem violarunt. Abraham enim non aliter quàm in vero Deo Israëlis jurat, & regi eundem Deum professo, ac insuper se solum non etiam nepotes suos iurejurando devincit. Imo ipse Abimelech juramenti formulam ad suos quidem filios ac nepotes, non autem ad Abrahamæ os extendit, quod divina providentia factum est.

96. Interim fuisse posteris quoque temporibus aliquos Philistinorum reges à vera Israëlis religione nō alienos quibus cum Iudæorum reges amicitiam coluerint, Hiram Tyrj regis exemplo probabile redditur.

### *Questio VIII. De recuperato puteo.*

97. Quàm siticulosa illa fuerit regio in qua Abraham hospes fuit,

fuit, modo ex Ismaëlis historia cognitum est. Idcirco non leve existimemus, quod Abrahami oblata occasione commodissima regem de erepto sibi à ministris ipsius puteo compellet, quodque Moses hanc Oeconomicae rei commemorationem παρενδετικῶς inserit.

*Abraham suspicioni indulget.*

98. Primùm enim hinc apparet Abrahamum quoque fuisse hominem & suspicionibus alijsq̄, affectibus vitiosis obnoxium Mediocriter enim impingit, pium regem de servorum iniuria accusans. Sancti proinde non sunt ἀναμάστητοι.

99. Nulla deinde gubernatio est, in qua non aliqua in comoda & onera ferenda sint.

100. Principum autoritate multa fieri principibus inscijs, hinc etiam animadvertimus.

101. Principum & magistratus delicta arguenda, sed modeste tamen & tempestive, Abrahami monstrat circumspectio.

*Pacta veterũ.*

102. Vide verò quanta fuerit veterum in contractibus & pactis simplicitas, quanta constantia: mutis brutisq̄; pecudibus sua firmarunt fœdera & inviolata custodierunt; nostri loquacissimis inq̄, omnes fraudum anfractus attentissimis Syntigraphis, chirographis, pactionibus fidem pollicentur, & sæpe numero fallunt.

103. Ac licet δωροφιλία in fraudem iustitiæ regibus sit prohibita, dona tamen gratitudinis declarandæ ergò oblata beneuolè admittenda esse, Abraham & Abimelechus ostendit.

104. Quod insuper Abraham ad fontem Beerseba sylvulam plantat, non superstitionis aut religionis causâ, vt postea ab impijs Iudæis, sed Oeconomiri usus gratiâ factum est.

105. Longo enim tempore Abrahamus terræ Philistinæ fuit incola, ibidemque Ecclesiam plantavit & de verò Deo con-



concionatus est : Atque ita post varias iactationes tandem extremovitæ tempore locum habitandi in uenit.

106. Quærit autem Alcuinus, quomodo ad puteum iuramenti agrum plantauerit Abrahamus, cum in terra illa, teste Stephano Actor: 7. 5. non acceperit hæreditatem vel latum pedem : & respondet : Hæreditatem, de qua loquitur Stephanus, de ea intelligi, quam Deus fuerat munere suo gratuito daturus, non istam, quæ preciosa est.

*Laus Deo.*



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

SALOMONE CESARIO

MATTHIAS HOE



Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly bleed-through.



AB

52

9  
549

ULB Halle 3  
003 140 237




sb.

Wort







Ar

TIO BIBLICA XVIII

I, CAPITE

leos, ad privatam

συστήσιν

proposita à

NE GESNERO, S.S.

E DOCTORE ET PRO-

ademia VVitebergensi.

postrema Ianuarij, Anno  
1599. respondebit

S. VVEGELINVS  
Augustanus.



TEBERGAE,

ur Typis Meissnerianis,

M. D. XCIX.

